



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Sacrорvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis, Et Breviarii Romani.**

In quibus origo cuiusque Ritus, causae historicae, vel mysticae, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, obligatio, & exquisitus vsus, additis opportune Decretis omnibus S. Rituum Congreg. quàm breuissimè explicantur.

**Gavanti, Bartolommeo**

**Venetiis, 1647**

De Absolutionibus, & Benedictionibus. 11.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9521**

in oratione, Amalat. lib. 4. cap. 45. & præterea cap. 3. ait, vim habet, ut conuersti faciat totum Chorum ad unum, & totam intentionem illius ad rem, pro qua fit officium. Idem repetit in ordine Antiph. c. i. vbi ait, Versum esse compositionem officialem, per quam reuertitur intentio mentis. unde eodem teste Amalat. vertebant se cantantes Versum ad orientem lib. 4. cap. 2. vel ad altare, de ord. Antiph. cap. 1.

2. Versus igitur post Nocturnos ante Lectiones dicuntur, ut excitemur ad Orationem Dominicam, Absolutionem, & Lectionem, ad quam sessio facile neglentiam parit, Idem cap. 45. In fine quoque Psalmorum, idest, operum, excitamus ad spem præmiorum, Idem cap. 12. eodem lib. 4. Ante Cantica Euangelica, in Laudibus, Vesperis, & Completorio, excitamus Versibus ad intelligétiam eorumdem, & ad Orationem proximam, Idem cap. 45. Denique ante Orationem; & in commemorationibus semper adhibetur Versus, ut oratio ferueat. Idem cap. 9.

3. In Paschate, & eius Octaua non habentur Versus in Horis, ut alias; quia tanta est festivitas cum breuitate officij coniuncta, ut non egeamus stimulis. Amalat. de ord. Antiph. cap. 7.

4. Tempore Paschali additur utriusque parti Versus, *Alleluia*, ad maiorem laetitiam exprimendam; non tamen Versibus Responsoriorum additur; quia non terminant totum Responsorium, & non sunt Versus ad excitandum, ut iij. de quibus in hoc capite.

5. Versibus, qui habentur in Precibus, non additur, *Alleluia*; quia in his attenditur potius ratio humilitatis, & mæoris, quam laetitiae.

#### De Absolutionibus, & Benedictionibus. Cap. XI.

I. **A**bsolutionum, de quibus hoc loco, meminit Radulph. propof. 15. & puto ita vocari; vel quia absolvitur Nocturnum; vel quia simul cum Oratione Dominicæ præcedenti pétimus, (ait, D. Barth. Gauant. Tom. II.

Hugo in Spec. cap. 3.) mundari corda, & corpora nostra ad audiendum verbum, Dei in Lectionibus. nam Oratio Dominicæ dicitur, ex Duran. lib. 5. cap. 3. ut qui eget sapientia, ad Lectiones intelligendas necessaria, postulet eam à Deo, qui dat omnibus affluenter, &c., ut eiusdem orationis auxilio proficiat in nobis tenouata per præcedentem Versum intentio.

2. Versum appellat ipsammet quoque Absolutionem. Gemma lib. 1. cap. 5. quasi, inquit, qui mandatum Legatis ad prædicationem iniungit, quasi absoluat eos, ut eant ad legendum. Rupert. lib. 1. cap. 11. putat Absolutionem esse orationem, qua rogamus Dominum messis, ut mittat operarios in messem, & aperiatur cor nostrum in lege sua, ne semen, idest, verbum Dei, quod audituri sumus, aut volucres comedant, aut spinæ suffocent, aut in petra, quæ non habet humorem, arescat. Dicerem, Absolutiones appellari, sumpta denominatione à nobiliori, quæ dicitur in tertio Nocturno, in qua sunt ea verba. *A vinculis peccatorum nostrorum absoluat nos, &c.*

3. Lector petit Benedictionem, magnæ humiliatis gratia, & Sacerdos, ut tantæ humiliati vicem reddat, poscit à Deo, ut Benedictio prærogetur, Petrus Damiani de Dominus Vob. cap. 2. Petit etiam benedictionem, ut mittatur; quomodo prædicabunt nisi mittantur? Rom. 10. Rupert. lib. 1. cap. 12. de diu. offic. Petit licentiam, & benedictio est licentia. Gemma lib. 1. cap. 5. Vide, addit Hugo in Spec. cap. 3. quam larga potestas benedicendi tradita sit illi, cui iubere dictum est: *Iube Domne benedicere.* Lecturus enim dicit Vicario Christi; quod principatum Ecclesiæ innuit. Sacerdos autem orat, ut Dominus benedicat, qui totius est fons benedictionis.

4. Lector dicit, *Domine, non Domine,* quia hic Dei titulus est, ille hominis præclarus, ut docet Baron. ex Euodio Anno 416. sed tempore S. Hieronymi omnes Sancti, & homines alii vocabantur, Domini, solus autem Deus, Dominus. Papa ipse hodie appellatur Dominus E. Apo-



Apostolicus in Litanijs Sanctorum. sed, & ad ultimam Lectionem, quam Superior legit, debet hic dicere, quicumque ille sit, Episcopo inferior; *Iube Domine*, non *Domine*; cui secundus in Choro respondere debet benedictionis congrua verba; quicquid alij proprio marte scriperint, & nulla sulti auctoritate modo enim quilibet in Choro Superior exauditus est Episcopo Notarunt aliqui, quod ille, qui solus officium recitat, dicere deberet; *Iube Domine*: sicut dicit Sacerdos hoc idem in Missa priuata ante Euangelium, & vere par est ratio; vsus tamen non idem.

5 Benedictiones sunt in numero ternario, & in nomine distincto personarum Sanctissimae Trinitatis, & rectissime. ut patet. Benedictio illa: *Divinum auxilium*: dicitur etiam in Festis Trinitatis, Transfigurationis, & Festis S. Crucis, & Dedicationis Ecclesiae.

6 Absolutiones distribuantur per Ferialia quadam proportione, ut primus dies ferialis gaudeat prima, secundus, secunda, tertius tercia Absolutione; & rursus quartus dies prima, quintus secunda, Sabbatum tercia. cum Absolutionibus autem concordant Benedictiones, nisi Lectiones sint de Homilia, vel de Santo, in officio trium Lectionum. Convenit enim, ut magis in iis casibus respondeant Lectionibus, quam Absolutionibus. Sumuntur igitur in his casibus Benedictiones a tertio Nocturno; similiaque indicat Radulph. *propof. 15.*

#### De Lectionibus. Cap. XII.

7 **P**aret vocabulum *Lectionum*, eo quia leguntur, & non cantantur, ut Psalmi, Duran. lib. 5. cap. 2. Vlus earum originem dicit a lectione, que fiebat in scholis Patrum, *Act. 13. & 15.* ut notat Amal. lib. 4. cap. 9. deducit ab Hebreis Ibid. lib. 1. de Offie. c. 10. qui certis diebus legebant delege, & Prophetis in Synagogis, & legie Christus. *Luc. 4.*

8 S. August. *initio exposit. ad 1. Epist. Io.* significat, tunc solitas legi certas Lectiones in Ecclesia, ita determinatas, ut aliæ

esse nequirent. Hieronymus (Damasi iussu creditur) composuit Lectionarium, teste Bernone, *de quibusdam ad Missi spect. cap. 1.*

9 In Concilio Laodicensi *can. 17. cit. à Suan. lib. 4. de Hor. canon. cap. 2. num. 16.* decreta sunt lectio post Psalmos, vel longa in Matutino, vel brevis in alijs Horis. Capitula enim sunt lectiones breves, ut infra dicemus.

4 Numerus vero Lectionum nec fait maiorem novem, nec minor tribus Lectionibus. Amalar. lib. 4. cap. 9. ut per novem coniungantur conuersationi nouem ordinum Angelorum; vel ut tria prædicationis tempora designarentur ante legem, sub lege, tempus gratiae, Idem *cap. 11.* Addit Rupert. lib. 1. cap. 13. pluralitatem Lectionum ad diuersos Nocturnos, seu Vigilias, indicare, quod nostrum est parare corda ad aperiendum Deo, qua cumque hora pulsauerit: velbo suo; pluresque prædicatores esse, ut excusatione non sit locus, cum autem Psalmi, ut sepe diximus, opera bona significant; nouem Psalmi, & nouem Lectiones docent, aequalia in nobis esse debere, verbum, & opus. In Profestis autem paucitas Lectionum innuit tempus antiqui legis (nos enim Festa agimus, si comparemur cum antiquis Hebreis) in quo pauci prædictores erant. Hec Ruperti.

5 Ex vitro Testamento desumi Lectiones officij, dinini scribit Radulph. *propof. 11.* a priscis usque temporibus; & apud Romanos in primo nocturno legi de veteri Testamento. In secundo Nocturno sermones. In tertio Homilias, & per Hebdomadam continuari Sacra Biblia. ibidem tamen non excludit à primo Nocturno Lectiones aliquando de novo Testamento; quo l & hodie seruamus, ut in Rubricis patet.

6 Verum, quo ordine distribuantur Lectiones primi Nocturni per annum? Triplex est ordo sacrorum librorum, primum voco *Concilarem*, alterum *Historicum*, tertium *Ecclesiasticum*. Conciliaris est ille ordo, qui habetur in Sacris Bibliis sanctius à Concil. Trident. *fest. 4.*